

RECENSIONES

Kiss Kolos Jenő, *A margitszigeti szent Mihályról nevezett premonstrei prépostság története*, (Historia Praepositurae Ordinis Praemonstratensis Beati Michaelis Archangeli in Insula Beatae Margarethae). Budapest, 1931, pg. 50 cum illustrationibus. — Editio altara atque aucta ibidem, 1932.

Qui aestate praeterito Budapestini insulam Danubii, quae Beatae Margarethae nuncupatur, visebant, mentionem faciunt certae ecclesiae simplicitate ac elegantia tali in parte insulae recenter constructae, ubi tunc nondum revoluti anni spatio ante solae ruinae eminebant. Perfecto opere restorationis, quod occasione jubilaei decennialium Gubernatoris Hungariae Consilium Operum Publicorum metropoleos Budapest suscepit, ephemerides fata murorum hucusque dirutorum nonnisi obiter, imo haud absque omni vitio veritatis tangebant, aut Patronum ecclesiae ipsumve nomen confundentes ordinis, cuius hic floruit olim monasterium, aut nihil ultra solas coniecturas audentes; nec mirum, si intelligis ecclesiam tam brevi tempore esse erectam, ut multis quasi ex inopinato facta apparuerit. Haec igitur erant, quae Subpriorem canonicae Jasoviensis emeritum et directorem in Gödöllő habitantem, virum historiam ordinis nostri fovendi factorum praeteritorum charitate colentem moverunt, ut ulterioribus mendis praecavendis succurrens in libello illustraret hominibus ac in tuto poneret, quae de monasterio olim Beati Michaelis Archangeli et de canonicis Praemonstratensibus ibidem vitam monasticum agentibus erui posset. Quantum inceptum profuerit, patet ex eo, quod antequam libellus prodisset, iam de altera eius editione erat providendum. Praefationem ad alteram editionem scripsit Johannes Rakooszky, praeses Consilii Operum Publicorum civitatis Budapest.

Libellus tractans de vitae genere canonicorum Praemonstratensium praesertim in Hungaria, quoad pristina tempore aequae ac ad praesens, dein de ipso monasterio Beati Michaelis Archangeli in

insula per praepositos gubernari solito, addita serie praepositorum, enumerat data possessiones huius ecclesiae concernentia, atque ex litteris donationalibus Andreae II regis de anno 1225, item ex similibus Belae IV regis anno 1245 emissis Auctor concludit factum foundationis praepositurae Beati Michaelis Archangeli ad saeculum 12 esse reducendum. Certum est in Insula Beatae Margarethae, — antiquitus etiam Budensi, Leporum, Beatae Mariae Virginis, item Domini nuncupata, — plura simul exstitisse cœnobîa, quod praeter litteralia documenta variae quoque ruinae clare demonstrant, quae nec adeo restant eversae, ut ex elementis earundem architectonicis ad certa chronologice statuenda deveniri nequeat. Quibus statutis dantur bases ad dirimendam quaestionem, utrum ecclesia noviter fere ex toto restaurata vere pro eadem sit habenda, quae olim ibidem in honorem Beati Michaelis Archangeli dedicata exstitisse communiter dignoscitur.

Respectu habito ad ordinem successivum foundationum in insula, tempore omnium primum ibi monasterium Beati Michaelis Archangeli erectum esse comperitur e fontibus scriptis. Itaque false affirmaretur certas ruinas structurae Gothicae fuisse istud, cum Praemonstratenses iam sub fine saeculi 12 in insula habuissent ecclesiam, eamque propterea caractere suo architectonico ne Romano-Gothicam quidem, nedum pure Gothicam. Quae Auctor inde evincit, quod structura Romana mediî aevi in Gothicam convertens, sive transitionis non ante saeculum 13 in Hungaria coli incepit, ideoque concordantiam inter monumenta scripta et aedificata quaerentibus, parietem istam antiquam elementis architecturae sic dictae Romanae purissimis ac reliquas ruinas eidem continuas, e quibus ecclesia nuperrime est restaurata, partes superstites fuisse patet istius iuxta artem architectonico-criticam ecclesiae in insula quam antiquissimae, quae versus septentrionem, superior partheno ordinis Sancti Dominici, — in quo Beata Margaretha Virgo, filia Belae IV. regis virtutum gloria claruit, — erat sita et procul dubio pro canonicis Praemonstratensibus Deo ibidem famulantibus Beati Michaelis Archangeli in honorem dedicata; Franciscanis demum attribuendo claustrum, cuius ruinae indole Gothicae in meridionali parte insulae adhuc exstant.

Poro de ipsa restauratione loquens accurate describit ecclesiam ab intus et ab extero. Opus restorationis perfectum est auctore *Colomanno Lux*, artis suae recte atque specialiter peritissimo.

Dr. L. SPILKA.